

numeratio ita, ut Sermo in edit. XXV. fit nobis XXVI. atque ita deinceps, ut in pluribus *Mff.* a *Mabillonio* *ibid.* citatis reperitur.

Ad calcem nostri minuto sed *συγχεως* elegantique charactere legas: *Ymnus Bernhardi clarav. quem fecit rogatu domni Sigebardi abbatis in wihenstefen media XLma canendus. Sigebardus in serie Abbatum Monasterii Weichenstephanensis O. S. B. prope Frisingam nullus comparet. Est tamen Sigemarum inter annos 1138 — 47. quem T. IX. Monument. Boicor. Traditiones plurimae loquuntur, quique in comitatu Conradi Regis, aut Ottonis Ep. Frisingens. facile*

Francofurti aut Spirae amicitiam cum Bernhardo contrahere potuit. Itaque Librarium in nomine lapsum puto. Quid vero jam Mabillonio faciemus T. V. edit. suprac. col. 891. Metrica omnia a Bernhardo adjudicanti? Nimium fidenter dicemus pronunciaffe: Cistercienses nihil admittebant, quod metricis legibus coerceretur; nec persuadebimus nobis, Carolum de Visch Priorem Dunensem Ordinis sui usus adeo ignorasse, ut in Biblioth. Cisterc. p. 45. non unum modo Rhythmum sub Bernhardi nomine vulgaret. His igitur et sequens a me repertus accedat:

Amore sensus erige

Ad Te, largitor veniae!

Ut fias clemens cordibus

Purgatis inde sordibus.

Benigne multum Domine!

Tu lapsum scis in homine.

Infirma est materia;

Versamur in miseria.

Causa Tibi sat agnita,

Nulla mens est incognita.

Aufer a nobis omnia

Fallentis mundi gaudia.

Dives pauper effectus es,

Pro nobis crucifixus es,

Lavans ex tuo latere

Nos munda a vita vetere.

Externi huc advenimus,

In exilio gemimus.

Tu portus es, et patria,

Duc nos ad vitae atria.

Mundum cum pompa spernere

Da nobis, in Te vivere,

Remissio et venia!

Captare fac coelestia.

Hoc ut possimus, Domine!

Praesta in Tuo nomine,

Sine quo labor deficit,

Qui nihil digni efficit. Amen.

CCCCXXXI.

R. 3077 Codex membraneus lat. Folior. 165. ejusdem rationis cum praecedente, cujus Pars II. est, reliquos omnes in *Cantica Sermones* ordine, ut in *Editis*, complectitur, uno tamen plures, atque adeo LXXXVII. censens ob causam in

superiore Codice memoratam. Exemplar totum eo sincerius, quo vicinius Autoris beati temporibus.

II. fol. 102. Incipiunt alij quidam *Sermones eiusdem*. Nolim quidem vadem praestare de omnibus, indubitatos tamen praetereo. Fol. 112. p. 2. occurrit *Tractatus beati Bernhardi super symbolum apostolo-*

stolo-

stolorum, quem sequitur *Tractatus ejusdem super dominicam orationem*, demum *Tractatus ejusdem de fide ex symbolo Athanasij*. Primus incipit: *Apostolice doctrine sententia tam fidem quam fidei confessionem nobis commendans corde ait creditur ad iusticiam ore autem confessio fit ad salutem &c.* Ait, fidei Symbolum ab Ecclesia compositum, et mox: *ipsorum creditur esse apostolorum iuxta numerum eorum totidem sententiis comprehensum.* Citat Hieronymum et Augustinum, et distinguit inter *Credere in Deum*, *Credere Deo*, *Credere Deum*, quam distinctionem habet quidem Bernhardus *Serm. 45. de Divers.* T. III. col. 1181. habet vero etiam Nicolaus Claraeval. T. V. col. 718. in *Serm. de S. Andrea*. *Tractatus secundus incipit: Multorum legimus orationes sicut Moyse uel aliorum &c.* Lepida hic expositulatio e Graecorum ignoratione orta. Male habet Autorem, quod uerba quedam Mathei ab oratione dominica subtrabantur, et uerba luce apponantur, qui non eam ab ipso domino audiuit sed a paulo didicit, qui nec illi sermoni interfuit. *Vbi enim matheus dicit panem super-substantialem, lucas ponit panem cottidianum, et ubi ille dicit cottidie, iste dicit hodie &c.* Quasi vero non uterque utatur vocabulo ἐπιουσιον, et non Matthaeus potius habeat σήμερον, Lucas vero καὶ ἡμερον. *Tractatus tertius incipit: Ante omnia. ante spem et caritatem. uel cetera bona quibus ad uitam eternam peruenitur &c.*

Breues solummodo stricturae sunt in *Athanasij Fidem*. Quibus consideratis, ut has Expositiones, filentibus omnibus, Bernbardo tribuere non ausim, ita miror, tam brevi post illum tempore jam fucum fieri, eique aliena subponi potuisse. *Fol. 143. Sermo beati Bernbardi abbatis In aduentu domini de uirgine gloriosa atque regina celi et terre tribuitur edit.* T. V. col. 565. *Nicolao Claraevall. in cujus initio: Exultate fratres in domino, quia de domina illa prave impressum est: de Dominica illa. Eidem tribuitur col. 574. Sermo de sancto Stephano, nobis fol. 147. Bernbardo inscriptus et incipiens: Adhuc filium uirginis habemus pre manibus &c. Fol. 149. Sermo beati Bernbardi abbatis in ramis palmarum, Editoribus ignotus, mihi eo autore sane dignus videtur. Init vero: David futura spiritu previcens, liberavit, inquit, dominus pauperem de potente, et pauperem cui non erat adiutor. Non enim omnium est scientia. Ignorant aliqui pauperem istum, ignorant potentem illum. Scientes hortamur, ignorantibus instruimus. Pauper iste est primus parens noster et eius successio. Potens ille diabolus est. Primus parens in paradiso diues, extra pauper. Liber ante culpam, seruus in culpa &c. Finis est: cum odore uirtutum in iudicio currere satagite, ut eum laudare, cum eo regnare ualeatis, qui uiuit &c. Fol. 152. Sermo beati Bernbardi abbatis in uigilia natiuitatis domini. Incipit: Hodie de mari ad portum &c. et in Tisserij Biblioth. Cist.*

T. III. p. 229. datur *Nicolao Claraev.* poniturque *Tandem pro Hodie. Fol. 156. De sancto Andrea.* Initium: *Ad quietum studium &c.* Legitur et in dicta *Biblioth.* et T. V. *Opp. Bernb. col. 713.* eidem *Nicolao* inscriptus. *Fol. 159. p. 2. De sancto Martino.* Initium: *Nobilis ille confessor &c.* Pariter ad *Nicolaum* relatus dictae *Biblioth.* T. cit. p. 219. Dixi jam, mirum esse, ipso *Bernhardi* seculo Scriptis ejus tot aliena misceri potuisse.

CCCCXXXII.

- U. 81 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 371. 4. currente calamo perscriptus, et rubricis enotatus varia continet, quae hic enumerantur: I. *Epistola beati Bernardi de originali peccato in conceptione sanctissime virginis Marie.* Initium: *Inter ecclesias Gallie constat profecto Lugdunensem haecenus preeminuisse &c.* Nota illa reprehensoria ad *Canonicos Lugdun.* Festum illibati Conceptus celebrantes, quae legitur in omnibus *Bernardi* Editionibus, et signate in *Mauriana Paris. 1690. Vol. I. T. I. col. 169. n. CLXXIV.*

II. *fol. 2. secuntur verba perspicacissimi doctoris Magistri Johannis de turri cremata.* Ineunt: *Ecce testimonium clarissimum, et tante auctoritatis, quod plane in hac re ipsum solum sufficere deberet pro determinatione questionis &c.* Videlicet de Conceptu Virginis. Respondet vero dictus Doctor, *Magister Palatii et Eugenii IV.*

ad Synodum *Basil.* Orator, tum ab a. 1440. Cardinalis iis, quae piaae *Caussae Patroni* adversus *Bernhardi* Epistolam illo tempore obmovebant. Non dubito *Verba* nostra excerpta esse ex ejus *Treatatu de veritate conceptionis Beatissimae Virginis pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileensis anno Domini 1437. &c.* *Romae edito 1547. 4.* qui mihi ad manum non est. Sed nihil eum Patribus persuasisse, ex eorum *Decreto Sess. XXXVI. a. 1439.* liquet. Adi de eo *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 837.*

III. *fol. 12. praemisso Indice Incipit biblia accurtata.* Conspectus omnium utriusque Foederis Librorum sacrorum, cujus indolem discas ex initio: *Genesis capitulum primum. In principio. de operibus sex dierum. 2. Igitur perfecti sunt. de sabbato. paradiso. legibus. nominibus. nuditate Adam et eue. &c.* Finitis est: *excommunicat johannes addentem et subtrahentem. vocat Ihesum. Amen.*

IV. *fol. 55. p. 2. Incipit formula honeste vite quam sanctus martinus scripsit dumiensis ecclesie episcopus qui ab oriente venit. sive uos ab arriana impietate conuertit ad mironem regem. Lege Braccarenensis Ecclesiae; Dumiensis enim tantummodo Abbas fuit. Dixi de Libello Prudentiae, Fortitudinis, Temperantiae et Justitiae officia exponente Vol. I. P. 1. col. 584. Quo te, si lubet, refer.*

V. *fol. 60. Incipiunt, ut e fol. 187. p. 2. praeoccupandum est, addiciones ad postillam Magistri Nico.*